

B. C. D.  
DISSERTATIO GRADUALIS;  
DE  
NEXU  
ATHEISMI  
ET  
FATALISMI,

QUAM,  
*Consensu Ampliff. Facultatis Philosoph.  
in Reg. Academia Upsal.*

Sub PRÆSIDIO  
CELEBERRIMI VIRI,

MAG. PETRI

ULLEN,

Log. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ord.  
*Eruditorum examini sistit*

PETRUS SCHYLLBERG, Fil.

In Audit. Carol. Maj. ad diem 20 Maji

ANNI MDCCXL.

*Horis solitis.*

---

UPSALIÆ impressa.

*Juv. Schult*

Ad  
*Clarissimum*

DN. P E T R U M  
SCHYLLBERG,

De Nexu Atheismi & Fatalismi  
egregie differentem;

Quum prius de Officio Summi Principis  
Circa Sacra

Publice disputasset,  
Ode

**S**cripsisti egregie sedulus antea,  
Regis Sceptraferi Munia qua sient,  
Dum poscit rutilans Religio decus  
Concinnum, vel opem a Throno.

Nunc ast erigeris, Candide, celsius,  
Dextram Pieria Palladis artibus  
Aptans contra Atheos, exitiabilem  
Humani generis luem.

Quin

Quin & colluuiem Fatiferam feris,  
Monstrum terrificum, tartareum genus.  
En! binis clypeum fortiter hostibus  
Obvertis rutilum unicus.

Majestatis agis sic pariter poli  
Et caussam pariter terrigena. Dabit  
Majestas meritas, auguror, utraque  
Palmas, lataque premia.

Lati prospiciunt Aonides iugo  
Montis Pierii,sertaque preparant,  
SCHYLLBERG Clare, Tuo florida verticē.  
Hac Pindi diademata.

Ast heic non Abylen insuperabilem,  
Non Calpen facies carceribus suis  
Immotam: generosum ocyus excitat  
Plus ultra, & Patrium decus.

Tros Anchisiades Alcanio pater  
Sic factis stimulos fortibus addidit;  
Calcar Multiadis sic columen dedit  
Clarum nonne Neoclis la?  
Sed


*Sed rivos tenues nonne coërceam  
Hortantis calami? sponte etenim fluit  
Et pleno furvius labitur alveo*

*In Fama oceanum Tuus*

*Latabar tenero germine messum  
Quondam, Clare, Tuas nunc segetes videns  
Letas, frugiferas, exsiliens precor  
Cœptis candida flamina.*

*Scr. Scaris XIII Calend. Maji,  
A. O. R. MDCCXL.*

**OLAUS A. ODHELIUS;**



L. N. 7.

§. I.



**N**on infrequens est in philo-  
sophia, ut ea connecti dicantur,  
quorum unum in se habet rationem  
causamve alterius. Ergo ad nostrum  
institutum pertinebit, per Nexum  
intelligere ejusmodi quorundam  
relationem & dependentiam, qua ex uno,  
intelligi & reddi possit ratio & causa alterius.

Sic Nexus unius cum altero explicatur, dum ostenditur, unum ab altero, aliquo modo pendere, vel unum habere in se rationem, licet non semper unicam, eorum, quæ alteri inesse deprehenduntur. Adeo ut, si demonstratur, in alterutro, vel utroque totorum, quæ, in proprio ambitu considerata, distincta sunt, ea reperiri, quæ vel prorsus eadem sint, vel talia saltem, quorum unum ab altero, vel utrumque a communi causa  
A derive.

derivetur & originem trahat; relationem tum illorum, id est, nexum intelligi, statuatur. Hinc patere arbitramur, quid expectandum sit, dum nexum inter Atheismum & Fatalismum promittimus. Scilicet, quemadmodum sunt Atheis, cum Fatalistis, plurima communia, quorum pleraque, vel eandem originem agnoscunt, vel ita conjunguntur, ut simul existant, dum unum alteri fundamentum ponit, & quod huic integrum inædificatur systema, a latere sibi associat; ita ego, Bono cum Deo, & Benevoli Lectoris venia, e plurimis non nisi pauca communitatis istius indicia, in medium prolaturus.

### §. II.

Atheus est, qui Deum dari negat; Atheismus vero est complexus illorum omnium, sive mentis & doctrinæ sint, sive vitæ, quibus existentia Dei mundi auctoris, aut diserte negatur, aut per necessariam consequentiam ab intelligente tollitur.

Atheismum, cujus notionem exhibuimus, actu dari, non est ut operosius probetur contra eos, qui id negare sustinent, quum hunc ultimæ vesaniæ errorem exempla doceant, referantque annales antiquioris pariter ac recentioris ævi. Potius attendamus breviter ad receptam distinctionem Atheismi in Theoreticum & Practicum. Hic factis ex habitu, susque deque habita admonitione de vindicta & ira divina, profluentibus testatur, Dei agnitionem, saltem omnem E-

jus

ius timorem ex animo expulsum esse; ille verbis, vel expressis, vel callidis, &, quoad sententiam, ambiguus, essentiam & existentiam summam intelligentem inficias it. Ut adeo Theoreticorum duplex genus sit, unum, quod totidem verbis Deum negat; alterum vero, licet sententiam habeat eandem, tamen quid sentiat, nonnisi per ambages & anfractus, vix simplicibus detegendos, prodere audet, nihilominus tamen occultas veritati struens insidias. Illos primi ordinis Atheos, hos autem secundi dixeris.

§. III.

Fatalismus est opinio, qua, Deo a gubernaculis universi remoto, cuidam irrationalis & inevitabilis necessitatis ordini ita inserta creduntur omnia, ut nihil quidquam eorum, quæ existunt, aut extitura sunt, vel in melius mutari, vel in pejus abire, vel ullo quocunque modo variari possit. Hanc, qui tenet, Fatalista est.

Quantum illa de fato & necessitate doctrina, animos omnivævo torserit, vix dici potest. Heic scopuli isti, circa quos ultimum naufragium passæ sunt retusæ, summorum alias ingeniorum vires, dum quovis modo viam apertam & simplicem deferentes, in deserta quævis & aspera eniti conati fuerunt. Referta vides gentilium Philosophorum scripta variis de natura, primo principio, necessitate & fato subtilitatibus. Fuerunt, qui fatum pro re mere naturali, inviolabili & constanti habuerunt *o*); Alii vero illud rem divinam,

& cum Chryſippo, Facultatem & vim Spiritua-  
lem, hoc univerſum ordinæ gubernantem, judi-  
cabant, quam vel eſſentiam ipſam & ſubſtan-  
tiam, vel efficaciam dixerunt *b*). Alii principium  
aliquod ſuperius, unde dependerent omnia ne-  
ceſſitati tamen implicita agnoverunt; ruruſus alii  
cuncta, quæ ſunt, fiunt & videntur, per æternam,  
intimam & eſſentialem neceſſitatem uniuſ cujuſ-  
dam ſubſtantia, quæ ſimul Deus, mundus, natura  
& materia ipſis eſt, explicarunt; *c*) Ut autem,  
quod res eſt, dicam, incerti deprehenduntur o-  
mnes, quibus verborum tricis, ſententiarum fu-  
arum prodigia involvant, divinam naturam & ſpi-  
ritualem quandam indolem paſſim figmentis ſuis  
immiscentes; Quod ipſum in bonam rem inter-  
pretari liceat; Nimirum quod non omnem divi-  
nitatis ſenſum pervertere & exuere valeret hu-  
mana mens. Allatæ Fataliſmi definitionis ratio-  
nem reddituri, monemus tantum per illam i-  
pſam intelligi, quænam factorum genera eidem ſub-  
ſint. Reliquorum quodlibet, (Fato Chriſtiano  
unice excepto, ſi hoc de providentia Divina uti vis  
vocabulo), ſive Panteiſticum dicatur, Sive Me-  
chanicum, ſive Astrologicum, ſive Chaldaicum,  
ſive Stoicum, ſive denique eorum, qui licet ore  
Chriſtiano Deum profiteantur, illum tamen, quod  
res omnes ſemel conſtituerit prorfus immutabili-  
ter

*a*) *Plutarchus de placitis Philoſoph. C. 25 26 27.*

*b*) *Plut. l. c. Cap. 28. Gerdes. Theatr. Fati Sued. p.*

*331. c*) *Gerdes. Theatr. p. 35.*



ter & fataliter, absque ullo caussarum secundarum respectu, adeoque necessitate omnia ferri, nec libere a nobis quidquam suscipi posse asserant, affirmando simul tollunt. Variæ istæ necessitatis fatique acceptiones & appellationes, tandem omnes in hoc uno collineant, quod, aut nullam supremi numinis mentionem, aut talem faciant, ut Deum, quem nominare videntur, vera divinitate tandem exuant.

§. IV.

Atheus, qua talis, seu per suam hypothesin, Fatalista est.

Etenim Atheo, qui negat Deum mundi auctorem, mundus non potest non esse ens a se, ab alio independens, quorumcunque, quæ in ipso eveniunt, rationem in ipsa sua natura habens; ideoque omnia, quæ Atheus in mundo observat, naturaliter fieri statuit, & cuncta per quendam universi ordinem inviolabilem, rationes mechanicas absolutas & tales, quæ continentur in corporum natura & essentia explicat; essentia vero rerum sicut necessaria est, &, si Atheum audias, existentia quoque ejusdem generis, omnia tandem summa & absoluta necessitate eveniunt. In hoc autem quum consistat Fatalismus, Atheus qua talis, seu per suam hypothesin Fatalista est. Facilis quum heic sit de Fatalismo particulari, seu illo, qui necessitatem ultra mundum materiale non extendit, demonstratio, veritatem propositionis eatenus etjam agnoscent omnes. At quoniam vi-

deri potest, ac si animæ libertas, advertendo nimirum ad nos ipsos, a Dei existentia independenter demonstrari possit, neque adeo libertatem, quia negat Deum, negare statim teneatur Atheus; difficilior nonnullis visa est illa quæstio, an Atheus, quem per suam hypothesin Fatalismo particulari subscribere audivimus, etiam universali illi, seu ad ipsam libertatem humanam & reliquorum spirituum, si quos credit, extenso, mox favere censendus sit. Facilis est lapsus ab uno errore in alium; eo autem, quod Athei in sententiis de mundo, vita, natura ejusque phænomenis explicandis *d)*, uniformiter non procedant, fieri potest facillime, ut neque in illis, quæ libertatem humanam concernunt, consentiant. Si animam simul ac reliquos spiritus, Atheus subtiles esse mechanismos putaret; si sensum & experientiam libertatis intimam, ejus tantum haberet opinionem, cujus blandimentis se decipit anima, ad instar galli vel aplustris cujusdam, quod vento se regi ignoraret; Ancipitem puto ejus fore sententiam, si efflagitares, quomodo anima per libertatem, in mundo materiali, quidquam propter Mechanismum absolutum, cum actionibus liberis connexum, immutare valeret. Ratio est in promptu, quod maximæ ab actionibus spirituum, in mundo materiali pendeant mutationes & sæpe eventus actionis animorum, per interventum causarum materialium, immutetur.

§. V,

## §. V.

Fatalista per suam hypothesin de fatali rerum omnium, quæ existunt necessitate, Atheismo viam pandit & fundamentum substernit.

Nec heic tanti facio subtilitates istas, quibus expendi solet, quousque patrocinium necessitatis, in mundo materiali, absolutæ, quis ita instituire possit, ut salvare tamen tentet actiones animæ liberas. Sufficit dixisse, si & quousque id recte, & ita fieri contingat, ut simul creator mundi agnoscat, tum & eousque errorem magis alium, non Atheismum existere. Ad actiones animæ liberas sin extendatur Fatalismus, cum Atheismo practico, eum proximo quidem gradu connecti, facile constabit. Tunc enim absoluta necessitas, non in eventibus solum physicis, sed actibus insuper moralibus dominabitur, ut ne minimum quidem in actibus voluntatis, quomodocunque demum ab illa pendere videantur, contingens aut liberum sit, nec obligationis, legis aut religionis ulla vis, timor ullus. Quomodocunque te gesseris, te a fato rapi, cum universo ferri necesse est. Si committas furtum vel homicidium, tum, sive quod ad hoc, te a fato coactum credas, sive, quia numinis metus mentem subeat nullam, idem est; ut mille taceam alia, in quæ inevitabili necessitate homines incidere credit Fatalista. Quantum ergo heic Atheismus practicus absit, perspici potest: Unde facile quoque in illum incidit Fatalista. Cum Atheismo theoretico & dogmatico, quomodo con-  
junga.

3 ) o ( 3  
jungatur Fatalismus universalis, videbimus. Ex hypothesi Fatalistæ, si universalista fuerit, tam quia in Atheismum practicum facile incidit, ut nuper vidimus, quam quia providentiam Divinam negat, de qua mox expressius dicetur, ea consequuntur, quæ necessaria consequentia Deum tollunt. Jam vero, quum Atheus etiam sit, ex nostra definitione, qui Deum per necessariam consequentiam tollit; evidens est, & Fatalistam universalistam esse Atheum. Sed observandum, & heic & in definitione Atheismi data requiri, ut consequentiam illam, qua Deus tollitur & negatur, intelligat is & intendat, animo subtili licet & callido, qui ejus præmissas dedit. Quocirca Stoici, ut ostendit Thomasius e), Deum, mundo insinuatam, per modum partis formalis, illumque materiæ & fati vinculis illaqueatum fingendo, talem effinxerunt, ut ejus nihil nisi mere nomen retinerent, in providentia Divina explicanda satis quidem laboriosi, ita tamen, ut nihil magis intendisse videantur, quam ut ostenderent, summas impietates splendidissimis titulis regi posse & recondi. Cæterum, quum Atheus is demum sit, qui consequentiam illam, qua Deus tollitur, intelligit & intendit; experientia autem insinuet, dari multos, qui, quid thesin quandam proxime consequatur, ne quidem cogitent, quin potius toto cælo diversa suscipiant & credant; vel ex eo patet,

non  
e) in dissert. varii argumenti XIII. §. 18 & XIV.  
§. 4 & alibi.

non omnibus posse tribui Atheismum, qui errorem, veræ numinis ideæ inimicum, amplectuntur. Ut autem providentia Divina, existentia Divina argumentum, mortalium animis, qui documenta illius, in universo obvia, debite reverentur, suggerit firmissimum; Ita quoque, si illa ipsa negatur, eo ipso vera Dei notio tollitur, a qua videlicet illa nexu infallibili deducitur. Unde sicut Atheum, quia Deum negat, illam etiam negare, res ipsa docet, ita etiam hujus propositionis conversam, hanc nimirum: Qui providentiam impugnat Atheus est; veram esse, citra ambages colligitur. Quapropter Fatalista universalista, cum providentiam Divinam non admittere possit, quippe quæ res contingentes & liberas supponit, quin ejus hypothesis præcepta ad Atheismum ferat, dubitari nequit. Sive enim Deum cum Atheo neges, sive nihil plane, vel eum in modum, quo Fatalista, de illo sentias, res eodem redit. Quid enim aliud agit fatalismi cæci & inevitabilis, ipsam quoque animæ libertatem rotantis, patronus, dum Deum nulli metuendum extra mundum projicit, illumque nulla nostri cura tangi; vel precibus flecti, nec bonis favere, aut malis irasci eructat, quam ut omnem Dei opinionem e mentibus hominum cum radicibus evellat? Et feliciter quidem satis in rem malam! singula enim providentiæ documenta, quotquot sunt innumera & infinita, totidem creaturis prædicant perfectiones & attributa divina, quorum complexus,

Dei ideam ita absolvit, ut, vel uno impugnato & sublato, reliqua sponte mentem deserant fugiantque.

§. VI.

Etjamsi Fatalista universalista Deum ore tenus agnosceret, fit hoc, vel ad dissimulandam impietatem, vel quod thesin suam ipse non intelligat.

Notionem Dei cum Fatalismo universali consistere non posse, sed per hypothesein ejus necessario tolli & negari, §. præcedenti vidimus. Quod si itaque aliquando contigerit, Fatalistam verbis asseverare, se Deum concedere; necesse est, ut aliæ adfint rationes, quibus fiat, ut, quæ thesin suam proxime consequantur, non asserat. Cum autem thesin suam intelligere dici debeat is, non qui in sententiam aliquam cæco impetu fertur, sed qui illius nexum cum principiis & legitimis consequentiis perspicit; aut thesin suam fatalista intelligit, aut non; si non intelligit, & tamen consequentias negat, patet id, quod non intelligit, sive ignorantiam in causa esse. Si autem intelligit, & tamen consequentias negat, fit utique, quia illas horret animus ipsius, adeoque ad dissimulandam impietatem. Ergo Fatalista universalista Deum, vel per ignorantiam theteos, vel dissimulandæ impietatis causa, verbis agnoscit. Pone Fatalistam thesin suam, de inevitabili fato, seriem actionum cogitationunque volvente, defendentem; Notionem autem genuinam mundi auctoris, & quæ inde fluit conservatoris, assertioni ejus e di-

ame

ametro oppositam, scite illi exponas: & ab illo quæras, num datam Dei notionem, agnoscat, aut non? Si hoc, patet Atheismus, sin illud, vel per incogitantiam sequelearum errare, vel ad eas artes converti illum deprehendes, quibus utuntur in veritate evidenti, ex deliberato animi proposito cœcutientes; his enim etiamsi extorqueantur contradictiones manifestissimæ, nihilominus, meram licet caliginem & fumum proferant, contra garriunt.

### §. VII.

Nemo autem, apud quem ulla sacrarum literarum est auctoritas, dubitarit, naturalem, omnibusque per labem originalem connatam, ad prava quævis inclinationem, esse communem, ut omni mali, ita Atheismi & Fatalismi præcipuum fontem, primamque scaturiginem. Cæterum, quod observari solet, non omnem terram pari fertilitate, quævis seminum fructuumque genera suo excipere & fovere gremio, sed aliam aliis idoneam magis & quasi propriam esse; id quidem non sine utilitate transferri potest, ad ingeniorum propensionumque diversitatem, hanc enim, ut virtutes & scientiæ, ita quoque vitia erroresque supponunt sibi que possunt. Et si qui errores arctius combineatur, eandem fautorum communem inclinationem haud raro redarguunt. Non vana omnino est meditatio nobis, Nexum Atheismi cum Fatalismo exhibituris intimum, intimam quærere indolem & propriam maxime utriusque hominum

generis. Ut inter Atheismum theoreticum & practicum discrimen est, ita nec incommode Fatalismus alius erit illorum, qui speculationibus indulgent, alius iterum rudis iste, cui immerguntur quidam mortalium flagitiis mancipati, ut eo minorem conscientiae vim, inter voluptates & scelera quævis percipiant. Huic ut & Atheismo practico, ejusdem farinae homines immolari solent. Isti autem simul ac Atheismo theoretico, ingenia speculationibus amica & nata sæpius consecrantur. Adeas catalogos illorum, qui hujus accusantur & rei judicantur, si non omnes, plurimos tamen præcipuosque non stolidos, non simplicitate inermi bonos & hebetes deprehendes, sed exquisitæ alias eruditionis ingenique acutissimi laudem promerentes, & subtilia quævis, rudemque multitudinis sortem superantia ingenia, quæ non trita saniorum judicia cogitationum metam ferunt, sed suo Marte, sua acie, impervia aggrediuntur. Unde patet, eos admodum sibi placere, si novas quasvis, inauditas & singulares, periculosissimas licet, quibus a vulgo eruditorum distinguantur possint, foveant sententias, aut si soli sibi sapere videantur, reliquosque homines pro stupidis, simplicibus, vera sapientia & eruditione destitutis habeant. Certe ambitione immoderata imprimis, & perverso inclarescendi studio, plurimos in hos errores præcipientes datos fuisse, testes sunt, qui causas illorum characteresque specialiores exhibent.



§. VIII.

Occasionem in Atheismum pariter ac Fatalismum incidendi arripere possunt homines curiosi & arrogantes, tam ex incomprehensibilitate essentiae Divinae, quam ex autosophia vitiosa circa originem mundi aspectabilis. Qui enim in consideranda suprema essentia ejusque attributis & operibus, principiis precariis, contra rationem assumptis & fictis, nimium tribuunt, quod simplicem, sapientemque ignorantiam relpquant, ii ipsi facile illam cum errore permutant.

Nimirum eximiis naturae dotibus ingenique acumine superbientes, simul ac invidi & impatientes, quod sint, quae ingenio bonorum omnium consensu, captum humanum infinitis parasanguis transilient, haud raro ea rimari, ea recludere, suisque principiis aptare tentant, quae sua natura remota sunt & inaccessa coarctatae mortalium indoli; non contenti essentiam infiniti Numinis, quantum fors permetteret eisque sufficeret, in illis speciminibus contemplari, quae suarum perfectionum specula Numen Supremum voluit, sed suo ingenio, essentiam immensam undique expletam, quoad indolem perquirere, exhaurire & subigere affectantes. His corde praetumidis, divinae essentiae infinitas, immensitas & incomprehensibilitas, per se alias, omnia ejus generis, quae mortalium animis piam admirationem, reverentiamque notioni entis summi debitam ingenerarent, totidem argumenta illam impugnandi evadunt.

Quoniam

Quoniam, hos si audias, notio Dei, quæ obver-  
 satur, animis hominum, est complexus rerum per-  
 fectionumque, quas mente comprehendere, vel  
 cogitando assequi nemo unus valet, & præterea  
 hujus ideæ illa ponuntur attributa, immensitatem,  
 infinitatem, incomprehensibilitatem puta, quæ e-  
 xamen & disquisitionem, quasi ex instituto, menti  
 nostræ eripiunt; illam, vel per formidinem & i-  
 gnorantiam hominum superstitiosorum, vel ex cal-  
 lido invento & dolo politicorum, vel qui erudite,  
 ut sibi quidem videntur, natales primos tantæ a-  
 berrationis se odorari putant; ex usu imprudenti  
 terminorum abstractorum ortam calumniantur. f)

Adeo Divinæ majestatis splendore absorbentur su-  
 perborum machinationes, ut illa Dei ipsa incom-  
 prehensibilitas & infinitas, quam deprehendunt,  
 & quæ ipsis causa foret & occasio altius cogitandi,  
 esse in universitate rerum aliam naturam intelligen-  
 tem, hisce nostræ cogitationis cancellis non cir-  
 cumscriptam, jam ab ipsis telum habeatur acu-  
 tissimum, quod vibrando, evincant, Deum ideo  
 incomprehensum quid & nihil esse, quod ipsorum  
 sensibus, omnium illorum, quæ ad Dei notionem  
 referuntur, simulacra & imagines non adsint.  
 Non vero cogitant, nos ne quidem nobis ipsis  
 omni ex parte notos esse, & in vilissima qua-  
 cunque natura esse reclusum quid, & animum no-  
 strum præstringens; quanto magis id erit in per-  
 fectissima divina essentia? Certe, pauca tantum e-  
 jus

f) *Cudw. Cap. II. §. 5. 8. & alibi.*

jus in hac mortalitate capere nobis datur, quem admodum montem manibus palpare, non complexu includere possumus. Quum itaque hoc modo incomprehensibilitate naturæ Divinæ, contra ejus existentiam argumentum depromentes, aperte Athei sint, hi autem, quantum §. V. ostendit, fatalistæ sint; patet fieri posse, ut ex incomprehensibilitate Dei occasionem tam Atheismi, quam fatalismi arripiant homines præsumidi. Præterea, cum per errorem habere quis possit mundum, pro ente, aut a se, aut ex atomis, in diversis infiniti inanis regionibus, agitatæ exstructo, vel per emanationem ab essentia Divina orto, vel alio quocunque modo cum natura, formis & qualitatibus permixto; Et circa originem mundi aspectabilis, qui ita hallucinatur, quin vel diserte, vel per necessariam consequentiam Atheus sit per §. §. II. & V, dubitari nequeat; Atheus autem, in quantum ex §. II. constare potest, fatalista sit; evidens esse putaverim, tam ex incomprehensibilitate essentiæ divinæ, quam ex autosophia circa originem mundi aspectabilis vitiosa, homines arrogantes arripere posse occasionem in Atheismum pariter ac fatalismum incidendi.

§. IX.

Lapsu circa providentiam Divinam & existentiam malorum, tam physicorum, quam moralium, in mundo actuali adduci possunt homines incauti, ut sibi falso persuadeant, vel Deum plane non esse, vel fato cuncta ferri, adeoque ut incidere possint, vel in Atheismum, vel fatalismum.

Scrupuli

Scrupuli isti & difficultates omni ævo hominibus circa providam numinis curam, malumque huic mundo undiquaque intextum ortæ, quam pronos, in ultimam impietatem abripuerint per multos incautos & rationis sanæ, imprimis autem verbi revelati contemtores, satis apertum est. Capere enim & conciliare aut nequeunt, aut nolunt, quomodo ad hanc rerum universitatem formandam & regendam, suæ imprimis divinitatis demonstrandæ causâ, infinitæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ artifex & Deus accesserit, in qua tot maculæ navique, tot mala physica & moralia comprehenduntur, tot undique existunt deformitates & anomalix. Ut adeo, si humanas res, in quibus maxima curæ numinis, si qua esset, haberi crederent vestigia, inspicias, nihil, iniquos illos si audias murmuratores, his confusum magis & perturbatum, dum omnia sine legibus & ordine ferri videantur, præmiorumque & poenarum justa distributio nulla appareat, sed fortunæ insultibus promiscue obnoxii sint pii & impii, immo boni malorum vices subeant, mali bonorum felicitates deportent, ut commutatis illorum fati, suum magis egisse videretur divina justitia & bonitas. Diogenes Cynicus, Harpalum felicem ejus temporis prædonem, quod pessimus in secunda fortuna tamdiu viveret, contra Deos testimonium dicere affirmare solebat. g). Diagoras Melius, quod furem, negato fure

to

to, & jure jurando fidem sibi facientem, numinis, perjurium ulciscens, vindictam effugere videret, publice atheismum est professus b). Bælius magno apparatu contra providentiam Divinam argumentorum scenam instruxit, ut Manichæorum commenta rationi inexpugnabilia sisteret. Cum hisce omnibus conveniunt querelæ illorum, qui nunquam non fortunam & fatum in ore habent, contra providentiam murmurantes, & attributa divina eum in modum impugnantes, ut incautis & non advertentibus sæpe impotuerint. Nihil frequentius, quam attributa Divina passim invicem committere, pugnam inter sapientiam, potentiam, bonitatem, libertatemque fingendo, quod harmonia illorum attributorum & indole non intellecta, dissentire videantur illa, quæ tamen propius considerata amicissime conspirant, & denuo per hunc consensum, absolutam Dei perfectionem prædicant.

## §. X.

Nexus inter Atheismum & Fatalismum, isque arctissimus, intercedit.

Quid Atheismus (§ 2), quid Fatalismus (§ 3), constat; Quum itaque Atheus, qua talis, seu per suam hypothesin Fatalista sit (§ 4), & Fatalista vicissim per suam de fatali rerum omnium, quæ existunt, necessitate, Atheismo viam pandat & fundamentum substernat (§ 5), Eo quidem usque, ut si universalista fuerit, licet Deum agnosceret ore tenus, fiat hoc, vel dissimulandæ impietatis

G

caussa,

caussa, vel etiam per ignorantiam illorum, quæ vi hypotheseos suæ, amplecti debebat (§ 6); Porro, siquidem homines ejusdem inclinationis & indolis, tam Atheismo, quam fatalismo obnoxii esse soleant (§.7); occasionem autem, cum ex incomprehensibilitate Divinæ essentia, tum ex autosophia vitiosa circa originem mundi aspectabilis arripiant (§ 8), tum etiam ex lapsu circa providentiam & inexistentiam mali moralis & physici in mundo actuali (§ 9); colligitur, arctissimum esse nexum, secundum §. 1, inter Atheismum & Fatalismum.

## TANTUM.

